NICOLAI
PARTHENII GIANNETTASII
SOCIETATIS JESU
PANEGYRICUS,
ET CARMEN SÆCVLARE
INNOCENTIO XII.
PONTIFICI MAXIMO
DICTA
AD EM. CARDINALES
F. VINCENTIUM URSINUM
Archiepiſcop. Beneventanum,
E T
JACOBUM CANTELMUM
Archiep. Neapolitanum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Bibliotheca Soc Coll: Rom: Soc Jesu

NEAP. 1699. Ex Typographia Jacobi Raillard.
Superiorum licentia.

INNOCENTIO XII.

PONTIFICI MAXIMO

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

NICOLAUS PARTHENIUS GIANNETTASIUS
SOCIETATIS JESU
PERPETUAM FELICITATEM.

EX altiſſimo iſto rerum humanarum, in quo poſitus es, faſtigio divinitati conterminus, ne dedigneris B. P. avocari pauliſper, atque oculos, quos Vniverſi commodo intentos perpetuò habes, in hanc perexiguam

tabellam, quam ego totius Orbis nomine, voti reus offero, ac conſecro, parumper deflectere: quando Deus ipſe, cujus tu vices apud homines geris, ex editiſſimo Cœli vertice ad noſtra etiam vota, preceſque deſcendit. Acccipies in illa non tantum meum, non Patriæ, ſed populorum omnium tot tibi, tantiſque titulis, quàm maximè debitum obſequium. Et quoniam immenſa in gentes omnes beneficia contuliſti, ſine, ut illarum omnium voce unus ego, quas poſſum, gratias perſolvam. verum quia id pro merito poſſe deſpero: Superant enim tua in nos munera modum omnem; quæſo, ut hanc ipſam noſtri animi confeſſionem benignus excipias: & quando aliud non datur, precor Deum, ut quemadmodum te nuper ſingulari beneficio ad Eccleſiæ utilitatem, ac magnitudinem conſervavit, ita in poſterum quàm diutiſſimè ſervet. Vale.

PANEGYRICVS
INNOCENTIO XII.
Pontifici Maximo

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMAN

DICTUS.

SI tempus ullum eſt, Emini Principes, quo ad agendas Pontifici Opt. Max. gratias excitemur, illud profectò præſens eſt, quo ab imminente fati neceſsitate pręſentiſsima Numinis ope, ac divino prorſus beneficio, vindicatus, atque in integrum reſtitutus eſt: quod tum ſingularis ergà illum Dei providentia, tum populorum omnium vota, tum etiam Eccleſię utilitas, ac magnitudo poſtulabant: ut nimirum pace inter Chriſtianos Principes compoſita, totoq. terrarũ Orbe pacato, ſecularem annũ gregis univerſi luſtratione auſpicaretur. Etenim quid afflictis bello regnis, vaſtatis continua excurſione provinciis, deſolatis obſidione urbibus, atq. exhauſtis frequenti delectu populis, aut jucundius,

Digitized by Google

aut optatius, aut utilius dari potuit, quàm Pax? Quid poſt tantas hominum internecio-nes, poſt tot rapinas, atq. incendia, poſt incredibiles tantarum gentium noxas, ac violata humana, divinaq; omnia, aut ſalubrius, aut opportunius concedi poteſt, quàm plena culparum omnium expiatio? quàm ampliſſimum Jubilæum? Et ſanè primum optatum ſemper, quæſitum ſæpe, confectum numquã, unus tandem Innocentius obtinuit: ſecundum jamjam fauſtiſſimis Divorum auſpiciis, communibus populorum plauſibus aggreditur. Quocirca opportunum hoc tempus eſſe ad habendas tanto Pontifici gratias, nemo veſtrum inficiabitur: imo laudare conſilium, probare factum, id unum quàm maximè expetere, vos video univerſos.

Quod quidem cuinam magis, quàm noſtræ huic urbi conveniebat? noſter ille, noſter Civis eſt. Civis autem? imo Pater. ex quo uno majora tibi, Neapolis, decora parta ſunt, majora addita ornamenta, quàm ex omnibus, quos hactenus protuliſti. cunctas enim ille virtutes, quæ ſingulæ in ſingulos diſtributæ, maximæ per ſe forent, & maximum decus allaturæ, ita in ſe uno mirabili nexu copulavit, ut nihil admodum ſit, quod amplius in ſummo, optimoq. Pontifice, vel ad

gregis

gregis utilitatem, vel ad Eccleſiæ majeſtatem, vel ad ſui gloriam deſideretur; niſi hoc fortaſſe unum, ab impare nimirum, & minimè vendibili oratore laudari contigiſſe. eſto: non refragor. verum id ipſum in maximam INNOCENTII laudem ceſſurum eſſe quiſquis ex ſe facilè intelliget: nempè tam magna ea ſunt, quæ INNOCENTIUS geſſit, ut nullo fuco, quæſitiſq. ab arte pigmentis, nullis artificiis, atq. ab eloquentia accerſitis argutiis indigeant. ſua ſe illuſtrant luce, ſua majeſtate commendant, ſua magnitudine attollunt; ut recenſere ea, laudare ſit: & quò minus artis habitura oratio eſt, eò plus conſecutura laudis INNOCENTII geſta ſunt. ſatis eſt digito indicaſſe gemmam, ut probetur; nempe fulgore ſe prodit ſuo, ſua ſpecie magnificat: ut verò ementito lapidi ęxtimationem, pretiumq. concilies, arte opus eſt, & fallaciis. Quapropter hæc una, & maxima INNOCENTII laus erit, enarrari tantum ejus facta, non exornari; ac feciſſe ſua copia diſertum oratorem, non autem inveniſſe.

Nemo unquam dubitavit, Emin. Princ. omnia quæ in humanis accidunt, divino ea conſilio, ac providentia evenire. excubat quippe in altiſſima cœli ſpecula ſuprema, atq. indefeſſa mens, Deus; rerumq. univerſarū cur-

ſus longè proſpiciens, ita eos ſapientiæ ſuæ clauo moderatur, ac dirigit, ut ad univerſi commoda, ad humani generis felicitatem, ad ſui gloriam ſe unicè aptent, atq. accomodent. Quod ſi in omnibus verum eſt, veriſſimum profectò in Innocentii xii. Pont. Max. creatione eveniſſe, eſſe qui neget, arbitror neminem. Immo & præcipua quædam Numinis providentia in ea fuit: nec ſecus fieri debebat. Parabat enim Pontificem, qui ſummis clarus virtutibus, magnis conſpicuus meritis, maximis inclytus geſtis, conſtituta per univerſum Orbem pace, condendo ſeculari anno, luſtrandoq. gregi par eſſet. id autem, ut ſuo ſingulari factum conſilio certò tenerent homines, multò ante prædici cæleſti oraculo decrevit; ut ſic peculiarem de illo ſe habere rationem, oſtenderet, & ſcirent univerſi, quæ habenda in eum Pontificem reverentia eſſet, quem acceptum ſibi Deus ante hominum ſuffragia elegiſſet.

Sed ne in oratione graviſſima me commẽtis uti arbitremini, & ad vulgi potius opinionẽ abire, quàm ſanctiſſimorum virorum ſequi authoritatem, afferam teſtes duos: ne ſi unũ tantum produxero, nullum me legitimè produxiſſe dicatis: eos verò tam luculentos, tam graves, tam certos, ut multorum inſtar eſſe

poſſint;

poſſint; quorum teſtimonio omnem à me, vel aſſentationis, vel levitatis notam amoliar. Hi autē ſunt gemini Divi fratres Aloyſius, & Vincentius Carafa, primus ex D. Benedicti familia, ſecundus ex noſtra Societate. in quibus animi virtutes, ac merita tanto ſplendore effulſere, tanta eminentia præcelluere, ut præclariſſimum cæteroqui, genus multò infra depreſſerint, atq; obfuſcaverint. imo inſignis utriuſq. ſanctimonia multis probata experimentis, divinis etiam teſtata prodigiis fuit; ut merito principe in hac urbe ea habiti apud omnes veneratione, ea culti obſervantia, qua ſanctiſſimos viros,& habere, & colere conſuevimus. Et quidem Vincentius, ut ab hoc, quem Patrem, ac Principem habuimus,incipiam, cum infanti adhuc Antonio, quo anteà Innocentius nomine appellabatur, inter nutricis ulnas blandiretur, molliterq. caput, ut fit, manu demulceret,divino ſtatim correptus numine; O quàm præclara, inquit, huic puero in Eccleſia dignitas adornatur. Aloyſius verò cùm forte adultum jam Antonium, unà cum duobus aliis adoleſcentibus ex Carafa familia conſanguineis ſuis eodem curru invectum conſpiceret,eo confeſtim afflatus ſpiritu, quo ſacri vates ſolitaverunt, ac futura, quaſi præſentia

proſpiciens: En, inquit Pontifex unus, ac bini Andriæ Duces. quod quidem religioſiſſimi ſenis oraculum de Ducibus primùm, & præter omnium expectationem, de Pontifice tandem INNOCENTIO XII. adimpletum eſt. adimpletum autem eo rerum ordine,eoq. potiſſimum tempore, quo minime putabatur; nimirum, ut qui ſpecialiter à divina Providentia deſignatus fuerat, prænunciatus oraculo, miraculo crearetur. Et ſanè ſi quis in totum illius vitæ curſum mentis aciem intéderit,quæq. in illo acciderunt, ſingula diligenter contemplatus fuerit, non communi eum lege, ſed extraordinaria, ac prorſus divina ad ſummum ſacri principatus apicem aſcendiſſe facilè confitebitur.

Et primùm, ut à præcipuis exordiar(tanta enim in INNOCENTII vita rerum moles eſt;ut neceſſe ſit multa de induſtria præteriiſſe; multa carptim, ac ſummis, ut ajunt, digitis tetigiſſe) dum apud Poloniæ regem, regniq. Senatum quàmampliſſimum Pontificia legatione fungeretur, oblatam obtinendæ purpuræ occaſionem, qua propius ad Pontificatum accedere potuiſſet; quoniam non ea pro ſui animi magnitudine quæſita, nec ſuis meritis,quibus unis debebatur, ſed regio cõceſſa patrocinio videri poterat: & quod ſibi

pro-

prodeſſe,officere amico;à quo ſtudiis omnibus petebatur,procul dubio potuiſſet, tanta conſtantia repudiavit, rejecit, quanta alii arripiunt, tenent, ampleſtuntur. Et vix equidē crederemus,niſi Rex ipſe,& qui in ipſius locū ſubrogatus, teſtes fuiſſent luculentiſſimi. Atq. hìc Em. Princ. neſcio quid primùm in INNOCENTIO admirer? & admiranda ſunt quippè multa. an fidelitatem in amicum, ac benevolentiam ſingularem? quæ quidem virtutes inveniri difficilè, conſervari diù porrò difficillimum. & tamen facilè reperire eas in INNOCENTIO fuit, durare facillimum. an magnitudinem animi, qua ſupra hominum conditionem aſſurgens, omnia infra ſe poſita, ac conſtituta eſſe demonſtravit? quod certè quàm perarduum, quàm perdifficile ſit, nullo is negotio intelliget, qui teneat,& tenet unuſquiſq. quanta naturæ propenſione, quanta aviditate ad honores, ac dignitates humanus rapiatur animus, ut continere ſe, cùm ad illorum adeptionem, patet aditus, divinum omnino ſit, nec à prodigio abeſſe: quemadmodum ne ex humili loco erumpant, inq. altiſſima exiliant flammæ, à prodigio non abeſt. An verò modeſtiam,qua imparem ſe tanto honori judicavit? quæ virtus in laudatiſſimo Principe magna eſt, maxima in meritiſ-

riſſimo. Etenim quis tum INNOCENTIO purpura dignior inveniebatur? dicam equidem, & abſit verbo invidia, nullus, nullus profectò. cujus ſi genus ſpectes, quis illo tum paterna, tum materna nobilitate nobilior? illa à Minervini Principibus, hæc ab Andriæ Ducibus trahebatur. ſi virtutes animi, quibus veram ineſſe nobilitatem cum Ajace Ulyſſes contendebat; ſiquidem hæ noſtræ dotes induſtriæ, noſtra bona ſunt, ac noſtris ſudoribus conquiſita, illa verò arbitrantis Fortunæ beneficium: quis INNOCENTIO præſtantior? tanta illi à puero prudentia, juſtitia, manſuetudo fuit: ut non majorem in heroibus ſuis vel finxit, vel invenit, ac celebravit antiquitas. ſi merita, quis illo ditior? qui immenſo geſtorum faſce onuſtus, glorioſo põdere premebatur. Vix attigerat xx. ætatis annum cum inter Romanæ aulæ candidatos adlectus, ſtatim ab Urbano VIII. Urbini Legato comes adjunctus, ut vicariam poteſtatem exerceret. quod etſi in aliis mirum oppidò fuiſſet, admirandum in INNOCENTIO non fuit, in quo cunctæ virtutes præcoci maturitate, ac properato veluti curſu ætatem præverterunt. Quo munere egregiè perfunctus, ab Innocentio X. in Melitam Fidei Quæſitor miſſus eſt. in qua ille provincia tam

illu-

illuſtria integritatis, vigilantiæ, cæterarumq; virtutum veſtigia reliquit, ut pereuniora futura ſint, quam ſuperbiſſima ea monumenta, quæ gratiſſimi Equites recentiſſimè poſuerunt. ſiquidem illa, nec tempus conſumit, nec caſus deicit, nec invidia demolitur.

Sed jam Viterbienſis præfectura INNOCENTIUM excepit: quo ille in magiſtratu, egregiũ virtutum patronum, acrem vitiorum vindicẽ, mitem pauperum parentem, vigilantem viduarum, pupillorumq. tutorem ſe præbuit. nemo probus ab illo repulſam paſſus, nemo nocens indemnatus evaſit, nemo pauper dimiſſus ſine mercede, nulla vidua, nullus pupillus à potentiorum injuria non oppreſſus modo, ſed ne laceſſitus quidem ſub illo eſt. tanta nimirum de integerrimo gubernatore tum pietatis, tum ſeveritatis opinio inerat univerſis. Quia verò jam maturus ad ſuprema munera videbatur, atq. ad magna negotia cum ſummis Principibus peragenda, quã maximè idoneus, in Etruriam Nuncius magno cum honore delegatus. hic ille in aula totius Italiæ graviſſima, prudentiſſimaque, tamquam in exercendæ virtutis campo tantum de ſe ſpecimen dedit, tanto virtutum apparatu conſpicuus, tanta diſciplinarum ſupellectile inſtructus, tanta divini, humaniq.

niq. juris, ac rerum politicarum ſcientia peritus apparuit, ut omnibus admirationi juxta, ac venerationi eſſet: & jam tum quid futurus olim facilè coniiciebatur. ut non unius propria Luculli laus fuerit, ut ſummus prius imperator, quàm miles ſpectaretur: quando etiam INNOCENTIUS in ipſo obeundi muneris exordio maximus viſus eſt; ut non in illo adoleviſſe cum ætate virtutes, ſed adultam virtutes ætatem reddidiſſe viderentur.

Poſtea verò quam octo apud Magni Etruriæ Ducis aulam annos verſatus eſt; quoniam ingens virtus ingentem campum, in quo exerat vires ſuas, expoſcit: & malè inter anguſtos fines magnus animus continetur: obruitur & ſua mole immenſa lux, niſi in apertum, ac liberiorem aërem erumpat; renunciatus ab Alexandro VII., miſſuſq. Nuntius in Poloniam. putabat enim ſapientiſsimus Pontifex, immenſum illud regnum par theatrum eſſe, in quo INNOCENTII virtutes, quarum ipſe admirator, & laudator fuerat, ſumma cum Eccleſiæ, tùm regni illius utilitate exercerentur. Et ſanè, dicite vos, quæſo, prudentiſsimi Senatores, tu Rex inviciſs mè, quàm acrem in illo in prævidendo mentem, quàm expeditam in amplectendis bonis, quã ſagacem in evitandis malis, quàm aſſiduam

in

in negotiis operam, quàm vigilem ad omnia rerum momenta animum, quàm efficacem, quàm blandam vim in ſuadendo, quàm facilem morum ſuavitatem experti, admiratiq. eſtis? audio uno omnes ſuffragio affirmare, magnam illi ad omnia mentem datam eſſe, magnum animum: & ut illius perſpicacia cuncta negotia feliciter peregiſſe, ita hujus facilitate omnium ſibi animos demeruiſſe. Et tamen, ò INNOCENTII modeſtiam ſingularem! haud parem ſe tanto honori arbitrabatur. ſed quid ego iſtuc admiror? hæc enim magnatum mentium indoles eſt, ut quò plura ex heroicis factis in ſe merita coacervarunt, quò majore virtutum copia animum ditavere, quò clariore diſciplinarum luce ſe ſupra reliquos evexere, eò magis infra ſe poſitos ducere, & ſequi cæteros, nō verò anteire.

Sed quid inde factū? quæretis fortaſſe, E. Pr. quod ab exordio dicebam: diuino hoc ipſum conſilio accidiſſe, ut hæc ſcilicet INNOCENTII modeſtia, hæc in amicum benevolentia, hæc animi magnitudo, via ad Pontificatum eſſet: & quò longior, eò glorioſior, atque utilior videretur. nimirum ut per omnes virtutum gradus, honorumque evectus ad maximum eniteretur; & ut ſapienter mox ea præciperet, quæ longa experientia didiciſſet.

ciſſet. Etenim qui ſubrogatus in purpuram Cardinalis memor tantarum virtutum, memor beneficii, auctor præcipuus fuit, ut in ſacris comitiis Pont. Max. crearetur. adeo verum eſt, nullam ſemper in obſcuro jacere virtutem, nec perire memoriam beneficii, quod in homine ingenuo collocatum eſt. Hærebant animo gratiſſimi Principis ea verba, quibus eum allocutus tot ante annos INNOCENTIUS fuerat: quæ quanto plus brevetatis, tanto plus amoris in amicum, tanto plus de ſe modeſtiæ continebant: Utere, amice, inquit, ſorte tua, per me licet: & gaudeo benè in te eum honorem collocari, cui me imparem profiteor. ò verbum divinum! quo ſapientius haud equidem Pithius ipſe ex adytis protuliſſet: & quo laudando non tota quidem Græca, non Romana facundia ſufficeret. ex illis quippe eſt, quæ ut ſupra invidiam omnem, ita ſupra omnem laudem aſſurgunt. nempe ex INNOCENTII geſtis unũ eſt.

At verò me hic diutius immorari, & ſi maxima tùm mea dicentis, tùm veſtra audientium voluptate, magnitudo ipſa rerum, ac multitudo non ſinunt. ſed eſte bono animo, majora illicò dicenda ſuccedent, ex quibus majorem etiam delectationem hauriatis. Ex Polonica igitur aula in Cæſaream, ad quam à

Cle-

Clemente IX. Nuntius deſtinatus ſe contulit, Innocentium ſequamur. Verùm hic ne expectetis, ut illa repetam, quæ ſuprà enarravi: quanta nimirum ediderit exempla virtutum, quàm capacem, & cuilibet rerum moli æqualem mentem oſtenderit, quàm magnanimum geſſerit animum, & nullis unquam officiis ſuperatū. antiqua hæc in Innocentio, & conſuetudine ipſa, ipſa copia jam vulgaria. quod ſingulare, quod inimitabile, quod divinum eſt, ſimplici, ut hactenus feci, enarratione perſtringam.

Jam in hunc altiorem dignitatis gradum evecto, quis non deferendam illicò purpuram opinaretur? ſiquidem munus illud eo ſemper loco eſt habitum, qui purpuræ proximus accedit: nec ſoliti à Romani Cæſaris aula, niſi Romano inſignes oſtro, Nuntii decedere. accedebat Cæſaris ipſius favor: cujus animum quà ingenuo morū candore, quà per eximia moderatione ſibi arctiſſimè devinxerat: petebant id maximè, & ſuo jure aggeſta tot annorum merita, nec ultra tantum differri honorem grandior jam ætas patiebatur. Et tamen ſumma omnium admiratione ne dicam? an indignatione? Romam privatus evocatur: & quando ornandum galero meritiſſimum caput putabatur, ſatis viſum

eſt, ſi vulgari præcinctum infula ad extremos Italiæ fines mitteretur. At nullus unquã tàm amplus, tàm ferax, quàm hic, campus fuit, ex quo copioſiorem meritorum ſegetem Innocentius collegerit, majora laudũ præconia reportaverit: nulla opportunior occaſio, qua in ipſa demiſſione excelſior videretur: nullum tempus quo piorum ſenum oraculum non mirabilius, non certius haberetur. Enimverò mirari omnes, ægre ferre, minimè probare, damnare etiam, virum tanta emeritum ſtipendia, tanto geſtorum faſce glorioſum, cujus ſi facta numerarentur, ſi titulorum ratio haberetur, ſi virtutes penderentur, non ſolum Cardinalatu, ſed Pontificatu ipſo digniſſimus uno ore judicaretur, arceri purpura, removeri Roma, longè emandari: & ne ulla revocandi ſpes eſſet, inq. ſacrum tandem Senatum adlegendi, Lupienſi donari infula: quaſi verò ſatis illa tantis meritis, tantis virtutibus, tantiſq. titulis factum eſſet. Verùm attendite, quæſo, mirum oppidò, mirum eſt, quod dicam, & vix apud poſteros fidem inveniet: in tanta hominum admiratione, ſtupore, querimoniis, quid aliud videre erat, quàm Innocentium erecto animo, hilari vultu, ſerena fronte, palam teſtari ſe non ex iis eſſe, qui non altius

vir-

virtutibus innixi, humanis perturbationibus hac, illac agitantur; nec ejuſmodi eſſe ipſius animum, ut reciproco viciſsitudinum æſtu nunc deiciatur, nunc efferatur. de aliorum admiratione admirari, de ſtupore ſtupeſcere, deq. ipſis conqueri querimoniis. ſe non eam de ſeipſo opinionem habere, ut quotuſquiſq; honor eſſet, quo afficiebatur, non ſupra merita, ſupra vires illum eſſe, facilè, atq. ingenuè confiteretur. ac proinde gratias agere, & habere etiam velle, ſi poſſet, ei à quo pretioſam illam infulam accepiſſet. ò virtutem inſignem! ò moderationem ſingularem! pace tua dictum, ſacratiſſime Pontifex, quidquid hactenus geſſiſti, quidquid geſturus es, quantumvis magnum, quantumvis admirabile, hujus unius facti laudibus obſcurabitur: omnia geſtorum tuorum decora huic uni faſces ſubmittent. ſed enim honori cedere, quẽ non uno meritus titulo ſis, & cedere amici gratia, magnum quidem certè. at cedere quaſi non meritus, cùm maximè demeruiſti: repulſam æquo animo pati, cùm admittendus jure, conſuetudine, omnium voce, ac favore, id ſanè ſupra omnem commendationem, ſupra omnem laudem, inimitabile, divinum eſt. quocirca veneranda ſilentio eximia hæc Innocentii modeſtia, quam verbis commendanda.

danda. par enim utcumq. veneratione ſilentium: ſufficere quamvis magnifica, quamvis ſplendida verba non poſſunt.

Ad vos verò me convertam, ſanctiſſimi ſenes Vincenti, & Aloyſi: etiamne, quæſo, adhibenda veſtris oraculis fides eſt? nam ſi dubitare de illis licet, nunc maximè dubitandum. quo enim pacto continget, ut veſter tandem hic nepos in altiſſimum illud Imperii faſtigiũ aſcendat, quando non ſolum à proximo gradu removetur, ſed quàm longiſſimè deicitur? qui fiat, ut Lupienſis Præſul non purpuratus, non in urbe, imo quaſi extra Italiam poſitus, in ſacroſanctam Petri ſedem advocetur? non ea nunc tempora, quibus è peniriſſimis ſylvarum latebris ſanctiſſimi Eremitæ, ex remotiſſima Syria vigilantiſſimi Præſules accerſebantur. Eum poſterior ætas morem obtinuit, eam legem accepit, ut nonniſi ex ſacroſancto Senatu Pont. Max. juberetur. vacillat veſtra, pientiſſimi ſenes, authoritas, nutat fides, infirmatur oraculum. ſed nę ego ſtultus, qui divina non teneo. etenim non hæc Naturæ ordinem ſequuntur, non humanis ſe legibus accomodant, nec eum ſervant tenorem, quẽ cæteræ res conſueverunt. Siquidem non jure miracula dicerentur, niſi miro, inexpectato, ac inſueto prorſus modo contingerent. Quis un-

unquam, dicite per veſtram fidem, res quippe diſſipatiſſima, Hectorem Carafam, alterũ ex duobus illis adoleſcentibus, futurum Andriæ Ducem exiſtimabat? quot humani caſus? quot vices interceſſere? quot difficultates? quot diſcrimina objecta? quot lites intentæ? quot conventus habiti? & tamen quia pii ſenis oraculũ erat, acclamatum Ducem, atq. in poſſeſſionem lege admiſſum jam vidimus. quod ſi ita; quis veſtrûm ambigat, vel nunc maximè conſtare fidem oraculo, neq. unquam certiora, quam in præſentiarum extitiſſe argumenta? quæ extra ordinem decreta ſunt, extra ordinem etiam eventum ſortiuntur: & tum præcipuè cùm neutiquam futura homines opinantur. quod quidem verum eſſe plurima ſuperiorum temporum experimenta, & res hæc ipſa luculentè demonſtravit.

Enimvero ſive inſtinctu Numinis, ſive quod minimè dignum videretur, virum, cui non alterum, vel vitæ innocentia, vel ſplendore virtutum, vel fama geſtorum æqualem invenisſet, tam longè ab aula emandatum, in unius oppidi anguſtiis deliteſcere; ac veluti in tenebris poſitum eum eſſe, qui in totius Orbis lumine, atq. in conſpectu omnium, uti in omnium ore erat, verſari debuiſſet, Romã INNOCENTIUM, ut ei Senatui à ſecretis eſſet,

 in

in quo de Epiſcoporum controverſiis diſceptatur, Clemens X. accerſivit. Atq. hic quàm diu,& quàm longa pugna vincenda fuit Innocentii modeſtia, ut ex humili illa ſede in ſpem maximè aſſurgeret? vicit equidem reverentia Pontificis, ſed tardè vicit. Hanc mihi, ſic ſecum Innocentius loquebatur; Deus ſponſam dedit, cur illam relinquam, aliam deſertor quæſiturus? ſi tantis agitatus procellis, tantis jactatus undis, portum jam teneo, cur me iterum mari committam, alias tempeſtates, alios æſtus experturus? turpe eſt in eam rurſus venire palæſtram,ex qua ſemel ſine laude, ſine corona deceſſiſti: illi hæc tentent, quorum nunquam expletur animus, & quo turpius repulſam perpeſſi ſunt, eò ad audendum impudentiores fiunt. me vero,qui eam, ad quam nati ſumus,felicitatem videor conſecutus, haud juvat agitari ſpe rurſus,angi ſolicitudine,confici mærore, torqueri cupiditate,atque his inhiare bonis, quibus nunquam animus ſaturatur. Atque hæc inter,cùm iterum Pontificis juſſa percurreret,ac præ animo illius, quem loco Numinis habebat, reverentia obiiceretur, morari, hærere, ambigere, nutàre, flecti, parere. At quàm glorioſa hæc Innocentii obedientia? quàm laudabilis? is certè facilè judicabit, qui ſcit quàm arduum

duum ſit, ſe alterius arbitrio ſubmittere, ac ſua commoda, ſuas utilitates publico bono præferre. Sponſæ igitur, non ſine ſingulari amoris ſignificatione vale dicto, Romam illico ſe contulit. Hic autem omitto dicere quanto fuerit plauſu exceptus, quanta omnium gratulatione: leuia hæc, & ad magna properanti præpedimentũ obiiciunt. quin etiam puerile eſt, frondes, floreſq. colligere, cùm maturi jam fructus carpendi ſunt.

Cum igitur eximiam Innocentii modeſtiam, ac divinam pene indolem ſuis ipſe oculis Clemens, æquiſſimus judex, aſpexiſſet, illum ſuo cubiculo præfecit. jam tum Deo præmonente, ut in illo ſacroſancto Romani Pontificis ſacrario prima Pontificatus jaceret fundamenta, atque ea aſſidua meditatione cõciperet, quæ ad totius Eccleſiæ utilitatem, ſplendorem, dignitatemq. jam edita in lucem, maxima illius laude, noſtro gaudio admiramur. Et ſanè ea magna, atq. immenſa rerum molimina, quæ Innocentius XI., vir quà ſanctitatis laude, quà amplificandæ religionis ſtudio clariſsimus: & futurus omnium opinione maximus, niſi poſt illum Innocentius XII. ſucceſsiſſet: grandia, inquam, illa, quæ ad Eccleſiæ Catholicæ utilitatem, ac magnitudinem ſanctus hic Pontifex tàm longo

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tempore, tam continenti meditatione, tantiſq. conatibus perficere adniſus eſt, unus INNOCENTIUS XII., qui tum illius cubiculo præpoſitus & ſecretorum omnium particeps erat, tanta vix creatus felicitate confecit, ut non hominis ea, ſed Numinis ipſius, ac proinde divina fuiſſe, confeſſa res fuit. idq. mirum videri certè non debet, ſi, ut ab exordio dicebam, ſingulari providentia ad maxima quæque INNOCENTIUM Deus prælegerat. Neque hoc latuiſſe credam Innocentium XI., quippe afflatum Numine, ac præſcium futurorum. Imo & prædixiſſe comperta res eſt. Etenim cùm ſanctiſſimum virum INNOCENTIUS hortaretur; ut diſtentiſsimum totius Orbis mole animum, paulisper liberioris cæli amœnitate remitteret: audite, quæſo quid tum divinus vir ille noſtro reſponderit INNOCENTIO: Id tu facies, inquit, cùm te Pontificem Roma adorabit, univerſæ gentes venerabuntur. quod verùm fuiſſe eventus demonſtravit. Quin etiam, mea quidem ſententia, cùm prævidiſſet, eum futurum INNOCENTIUM, quem ſe eſſe voluiſſet: ſcilicet earum rerum executorem, quarum ipſe meditator fuerat, illum Cardinalem renunciavit, ſibiq. ſucceſſorem deſtinavit.

Atque hic Em. Princ. quid aliud primum,

quid

quid poſtremum in tam prolixo, ac pene deſperato INNOCENTII Cardinalatu admiremur? quam id divino factum conſilio, ut nimirum à ſanctiſsimo Pontifice ſacroſanctus hic Pontifex deſignaretur? & ut illius ipſe veſtigiis inſiſteret, à quo in ſacram imperii majeſtatem adoptatus fuiſſet? longam moram magnitudo beneficii compenſavit, conceptam ſæpius ſpē eventus fefellit, ut plenius vota adimplerentur: & ut retardata diu flumina majore deinde alveo exundant, ſic dilata INNOCENTIO purpura majore tum laudis, tum gloriæ incremento fulguravit. & quemadmodū aqua tum maximè ad altiſsima emicat, cùm in infima deſcenderit; ita cùm in humili poſitus loco INNOCENTIUS putabatur, tum propius ad celſiſsimum dignitatis, honoriſque faſtigium acceſſit. Quo de honore non tantum illi gratulandum, quantum nobis, ac patriæ lætandum eſt. nihil enim ei accidit, quod ut ſumma merita vehementiſſimè poſtulabant, ita ſumma illius modeſtia moderatiſſimè reſpuebat. lætandum igitur nobis, lætandum patriæ, quibus nihil præclarius, nihil opportunius, vel ad urbis dignitatem, vel ad civium utilitatem dari potuiſſet.

Ut autem ea perſequar, quæ ad nos magis pertinere videntur, ne ſi cuncta enumerare

velim,me non veſtra quidem humanitas P.E. quos attentiſſimè,avidiſſimèque INNOCENTII audire laudes proſpicio, ſed dies ipſe deficiat; ex induſtria prætereo quanta vigilantia Faventinam Eccleſiam adminiſtraverit: quanta deinde prudentia, felicitate juſtitia Bononienſem legationem perfunctus ſit:& eò præcipuè,quod adeo pervulgata iſta ſint, ut nulla illi laus noſtro ſilentio detracta videri poſſit. Ad nos igitur Præſul miſſus expectatione vicit famam, præſentia expectationem: atque Indici Caraccioli meritiſſimi prædeceſſoris deſiderium illicò extinxit, conceptumq. de illius fato mærorem nova lætitia deterſit, ademit, pepulitq. ut tum revixiſſe Neapolis viſa ſit,omniaq. ſua præſentia in melius commutata. in eo enim non ſolum civem optimum,ſed parentem etiam amantiſſimum è veſtigio experti ſumus: tanta enim manſuetudine,tanta humanitate cunctos excepit, ut cōmunicare cum omnibus majeſtatem, partiri honorem videretur. quotus enim quiſq. fuit, qui affectata majeſtate, compoſitoque ad ſeveritatem vultu in colloquium admiſſus ſit? imo tanta facilitate viſendum, tractandumq. ſe præbuit, ut ne viliſſimis quidem capitibus fuerit unquam aditus interclusus. ſciebat quippe popularem Principem eſſe oportere,

nec

nec à reliquis faſtu, ſuperbiaque, ſed majeſtate,comitateque diſtingui.

Ne verò eas, quæ innatæ, atque ingenitæ cum Innocentio virtutes, ac perpetua conſtantia roboratæ,& quas,me recitante, admirati jam eſtis, odioſa iterum enarratione recenſeam, liceat per vos mihi, quæſo,Pr.Em., ut unam præ cęteris veſtros ob oculos ponam, miſericordiam nimirum, qua ſemper pauperes complexus eſt,fovit,atque à calamitatibus ſublevavit. non quaſi verò hæc virtus non fuerit in Innocentio antiquiſſima, ſed quia hactenus illam, ut in hoc loco opportunius, ac ſublatius contemplaremur, data opera, omiſimus. Jam verò ſi ulla virtus eſt, quæ difficilè in homine reperitur: & quæ eum, in quo reperta ſit,Deo ſimilem efficiat, ea profectò eſt miſericordia. Nil etenim, etſi maxima omnia,immenſa, infinita in Deo natura ſint, tàm ſæpius in illo maximopere commēdatur, tàm mirificè extollitur, quàm miſericordia:ut illam vocare ſuam apertiſſimis oraculis viſus ſit. quocirca, quod ne optandum quidem homini eſt, divinitatem quandam illius beneficio conſequimur: ſi ita,quantus, quæſo,per veſtram fidem fuerit Innocentius, cujus hæc virtus propria, judicate. Enimverò tanta ſemper pauperes liberalitate ſuſcipiebat,

piebat, ampleḍabatur, reficiebat, ut jure, meritoque Pater pauperum diceretur. quem ego titulum glorioſiorem puto, quàm ſuperbiſſima illa nomina, quæ è victis nationibus Imperatores uſurpabant: & tanto quidem glorioſiorem, quãto majore virtute de nobiſmet ipſis, noſtriſque cupiditatibus, quã de aliena, ſive ignavia, ſive fortitudine triumphamus. vocentur igitur Imperatores Africani, Aſiatici, Germanici, Parthici, Alani; nam horum omnium laudes uno ſuperabit nomine Innocentius ſi Pater pauperum, ſi Miſericors nuncupetur.

Quanta ſit in homine à vitiata natura cupiditas, quantus divitiarum amor, cuique tum domeſtico, tum publico, ac quotidiano experimento colligere proclive eſt. ſiquidem unde nã in nobis ſolicitudines, iræ, odia, fraudes, invidiæ? unde in publicis bella, conflictus, cædes, rapinæ? nonne ex rerum appetentia? ex amore divitiarum? tantumque vehemens hujuſcemodi furor eſt, ut nullus ſit amicitiæ, nullus ſanguinis, nullus pietatis, nullus religionis reſpectus: & nullibi unquã, tàm frequentiores contentiones, quàm inter amicos, quàm inter conſanguineos, quàm inter fratres: & quod ne credibile quidem eſt, inter parentes ipſos, ac filios. ita ut illud, quod

quod antiquitus vulgò jactabatur; Amicorum omnia eſſe cõmunia, ad heroica, non ad præſentia tempora referendum eſſe videatur. Quantus igitur INNOCENTIUS, qui divina, dicam, virtute, jugulata hujuſcemodi cupiditate, ſua omnia, eadem pauperum bona eſſe, & cunctis communia profitebatur? amiſiſſe ſe diem illum Titus arbitrabatur, quo non aliquem complexus beneficentia fuiſſet: perdidiſſe INNOCENTIUS, niſi totum in ſublevandis pauperum miſeriis impendiſſet. adeo ut nullus unquam inventus ſit, cui non ſtipem INNOCENTIUS erogaſſet. quam tanta illi ſpargere voluptas erat, quanta aliis cogere cupiditas. Quare nemo me temeritatis accuſabit, ſi illum ad Pontificatus faſtigium pauperum manibus deportatum fuiſſe affirmavero, quo quid glorioſius? quid illuſtrius? quid magnificentius dici poteſt? Imo addam, & vos in meam ultrò deſcendere ſententiam jam video, pauperum manibus ab eo, in quo modo conſtitutus erat periculo, atque ineluctabili mortis præpotentia mirabiliter ereptum, ad ſecularem annum perductum eſſe; & iiſdem ſupra annoſiſſimam Neſtoris ætatem perducendum. diligentia alii, frugalitate, atque exquiſita ſuccorum ope mortalis vitæ curriculum extendant: induſtria, favore, fortuna,

ad

ad dignitates, ad gloriam provehantur: egregiis ad famam factis velificent. proprium, ac ſingulare Innocentii eſt, ad ſummum ætatis, honoris, famæque faſtigium unis pauperum pedibus aſcendiſſe. tantumne? imo etiam pervolaſſe. Equis inſignibus Imperatores, curru deaurato, lauro redimiti, victarum gentium ſpoliis onuſti, præeuntibus regibus debellatis, legionum plauſu comitati, in Capitolium triumphantes aſcendant. Innocentius pauperum ſublatus grallis, miſericordiæ ſerto coronatus, mendicorum pannis incinctus, faſtu, ac cupiditate catenata, pauperum ſtipatus turba, egenorum vocibus acclamatus, in ſacroſanctam Petri ſedem, divinitatis in ſolium victor invehitur.

Et jam habetis, E. P. Pontificem ſingulari providentia electum, prædictum oraculo, miraculo jam factum. Et factum eo tempore, quo minimè putabatur: nempe ut totus, & undequaque divinus, divinique artificis opus eſſet. id verò, ut intelligatis, qua ratione contigerit, paucis contendā. Alexandro VIII. vita functo, ac magno de ſe, ſuiſq. virtutibus deſiderio relicto, cùm ad novum Pontificem creandum comitia indicta eſſent, atrox id temporis peſtilentia non exiguam Apuliæ partem pervaſerat: cui malo, cùm opportu-

num

num illicò remedium Magiſtratus pro ſua vigilantia attuliſſent : & eò efficacius, quod adhuc recens erat memoria præteritæ calamitatis ; id conſecuti ſumus, quod maximè optabamus, ut non ultra præſcriptos fines cõtagio perruperit. uſque adeo verum eſt nullam feram tàm efferam eſſe, nullum malum tàm atrox, cui non poſſint homines, quà arte, quà conſilio, quà induſtria ſupereſſe: & ut plurimum non malorum magnitudine, non fati neceſſitate, ſed ſua ignavia, ſua ſocordia perire mortales. At non hac cautione (quæ magna licet, nunquam in manifeſto vitæ diſcrimine ſufficiens reputatur) contentæ vicinæ gentes, regnum univerſum proſcripſere. Quo interdicto, tum INNOCENTIO, tum vobis P. E. qui illum comitabamini, fuit aditus ad comitia interclusus. nec ullo pacto admittendi, ni prius eodem incluſi ſtadio, exacto xl. dierum examine, certa, ac luculenta de integra valetudine argumenta præbuiſſetis. Jam verò hoc tanto incommodo præcluſa INNOCENTIO via ad Pontificatum videbatur. Nam jure, prudenterque verebamur, ne adfecta jam ætas, ſivè aëris vitio, ſivè loci anguſtia detrimentum acciperet : vel ne ante præſcriptum dierum curriculum comitia abſolveretur. At vicit, vicit profectò Dei providentia,

tia, qui extraordinaria INNOCENTIUM lege Pontificem deſtinaverat. confirmata ſemper, atque in melius commutata valetudo, tolerata cæli, terræque incommoda, expletus dierum numerus, dilata comitia, ingreſſi tandem ſacroſanctum Senatum eſtis.

Verum enim verò hanc etiam ſibi arenam providentia deſignaverat, in qua de hominũ ſapientia, conſilio, prudentiaque mirabiliter triumpharet. in alios converſæ Patrum mentes, inclinati animi, data ſuffragia. at nihil unquam poſt repetitam ſæpius ſuffragationẽ confectum eſt. Quippe non in eum animum intenderant, in quem multo ante reſpiciens Deus, Eccleſiam deſponderat. ò vim Numinis ſingularem! ò efficacitatem præſtantiſſimam! mutatæ illico Patrũ mentes, converſi ad INNOCENTIUM univerſorum animi, lata ſuffragia: atque unanimi ſtatim conſenſu Põtifex renunciatur. Ac veluti ea bona, quæ præ magnitudine ſe vix capiunt, ſi inaſpectata proveniant tanta animum inundant, atque obruunt voluptate; ut interdum perire gaudio contingat: ita INNOCENTII Pontificatus tàm inopinus, tàm magnus ſua mole viſus, ut torrentis inſtar ampliſſimi, vehementiſſimiq. ingenti lętitia ſacroſanctum Senatum, Equeſtrem ordinem, populumque omnem Romanum

num affecit, cumulavit, obruitque. Tum verò pleno ore, exquiſitis verbis percenſere merita, exponere dotes, enumerare virtutes, referre titulos, quibus ſuprema illa majeſtate digniſſimus videretur. atque unam omnibus ineſſe ſententiam, non eum humanitus, ſed divinitus electum eſſe. Quæ quidem lætitia, quæ ſententia omnium deinde gentiũ, populorum omnium fuit, & eorum præcipuè, apud quos ille illuſtria virtutum veſtigia reliquerat. At tua, vel maximè, atque ante omnes fuit illa, Neapolis; quæ vix accepto felici nuncio, qui non velocitate curſorum, non pernicibus famæ pennis, ſed pauperum votis delatus, ad te momento pervenit, tota in gaudia effuſa es. & merito quippe: ad te enim ille honor præcipuè pertinebat. verum ne longè ad Innocentio digrediar, me libenter ea voluptate fraudo, quam ex geſtiente urbe, ex feſtivis ignibus, ex læto tormentorum murmure, ex omnium plauſu, atq. acclamatione percipere potuiſſem.

Ut verò iniit Pontificatum, non dicam quid egerit prius, ſed quid omnino egit aliud, quam pacare Orbem, Chriſtianos Principes ad concordiam revocare, bella extinguere, ſerere pacem, fovere unitatem, ſuſcitare virtutes, vitia jugulare; ut ſic ad ſecu-

laris

laris anni celebritatem, ac populorum omnium luſtrationem viam ſterneret expeditiſſimam, ac pacis præſidio muniret. quo quid magis optabile, aut ſalutare tribui potuiſſet? Deus immortalis! quantum nobis beneficium impertiſſe videris, quod in hæc tempora Pontifex INNOCENTIUS inciderit! ſcilicet per illum ferream tollere ætatem, auream cōdere, ſumma benignitate decreveras.

Scitis equidem P. Em., quæ Europam penè univerſam lues pervaſerat, quæ tempeſtas commoverat, qui turbo ſubverterat. & quã furioſa, ac vehementi contagione, quam violento, minaciq. impetu humana, divinaque omnia corripuerant, confecerant, laceraverant. nullum unquam poſt homines natos tam perniciosum, tam atrox bellum fuit, quod non reipublicæ ſolum, ſed religionis ipſius jugulum petere videbatur: & eo potiſſimum tempore, quo poſt fundatum Turcarum imperium, nullum unquam opportunius fuit, quo ex hujus deſtructione, amplificari Chriſtiana religio, Romanum proferri imperiũ, inq. priſtinam magnitudinem, dignitatemq. reſtitui potuiſſet. tot nimirum, tantæq. fuerant ex immaniſſimo Chriſtiani nominis hoſte victoriæ divinitus reportatæ. inter quas maxima illa, celeberrima, opportuniſſima,

fuit,

fuit, quæ Pontificatus tui initia, ſacratiſſime Pontifex, fortunatiſſimis auſpiciis cohoneſtavit. Non equidem, non dubito quin illa teſtari voluerit Deus te non humano ſuffragio, ſed ſuo conſilio, ſua providentia delectum: & ut ſcirent omnes tuo merito datum beneficium, quod tuis auſpiciis obvenerat: utque ſuſceptam de tuo Pontificatu lætitiam novo gaudio cumularet. At majus profecto munus, majus beneficium illud fuit, quod poſtea, te auctore, nobis elargitus eſt: Pacem, dico, inter Chriſtianos Principes. qua ſi benè uti licuiſſet, actum equidem, actum jam eſſet de Otthomannorum tyrannide: cui noſtris armis victæ, ac debellatæ, conclamato veluti corpori inſultaremus.

At quanti ab Innocentio conatus, quantæ artes adhibitæ, quanta conſilia inita, quãtorum opera uſus eſt, ut optatiſſimam pacem componeret? Ardua quidem res videbatur, & quo voto expetibilior, eò factu difficilior. ſed quid? talis Innocentius vir eſt, ut nulla res tanta ſit, & tàm difficilis, quàm ille non & fortiter ſuſcipere, & ſapienter tractare, & prudenter promovere, & feliciter poſſit conficere. quod ſicuti in cæteris, hac ipſa etiam in re eventus demonſtravit.

Quoniam verè inveterata tot annorũ odia,

 irri-

irritatæ mutuis cladibus iræ,inflammatæ mẽtes cupiditate vindictæ, ſuccenſi animi æmulatione regnandi, paulatim lenienda, mitiganda, mollienda erant,ut tandem ad cõcordiam,ad fœdera deſcenderent, quàm efficacẽ, quàm copioſam in ſuadendo vim adhibuit? quàm robuſtas,quã validas rationes adduxit? quantis viris ingenioſiſſimis,ac præclariſſimis apud Principes uſus eſt;ut qua oratione, qua conſilio,qua etiã authoritate, objecta diſſolverent,obluctantia evincerent, atq. impervia aperirent? quam benè eam, qua maximè præſtat, poteſtatem non faſcibus, ſed blanditiis roboravit; ut videretur, quod vellet,non vi, uti Pontifex,ſed manſuetudine uti Pater, extorquere. Et ſanè id factum, quod ejus opera Deus fieri decreverat: extincta nimirum odia, placatæ iræ, mitigati animi, conciliatæ mentes,icta fædera,ſancita pax eſt. At quanta cum pace, diviniſſime Pontifex, tuo munere conceſſa nobis bona ſunt? immenſa quippè, infinita. Etenim,ut paucis multa complectar,quę nunc pacatæ ſpecies Italiæ? quæ Europæ?quæ Orbis totius eſt? qui ſplendor urbium? quæ quies gentium?qui cultus agrorum?quę commerciorum frequentia? quæ terra,mariq.pacta ſecuritas? quæ multitudo commeantium populorum?quæ copia mercium?quæ ubertas re-

rum

rum omnium proſtat ubiq.? Ut ſtatim pacis nomine, divina quaſi aura, ſuſcitatæ artes, revixere ingenia, floruere ſtudia, pulſa barbaries, reſtituta humanitas, omniaq. è tenebris in lucem educta, inq. priſtinum ſtatū collocata? Sed quid? quaſi nihil hactenus dederit, quantò majora ſunt, quæ parat? tantò nimirum, quantum divina humanis excellentia, magnitudine antecedunt: parat enim nobis ſuperos conciliare, pleniſſima noxarum expiatione, aperire cœlum, viam ſternere ad beatitatem. Enim verò talis INNOCENTII genius eſt, qualem celebramus, atq. admiramur in Deo; qui niſi omnia dederit, nihil ſe nobis dediſſe arbitratur.

Vt tot igitur, tantiſq. noxis bellorum impunitate contractis animum piaremus, ac ſeveriora ſupplicia voluntaria caſtigatione deprecaremur, ſecularis anni ſolemnia, & Jubilæum indixit: ut ex omnibus provinciis, ex toto terrarum Orbe Chriſtifideles Romã confluentes, copioſiſſimam delictorum omnium veniam conſequerentur: atque adeo æternis vinculis abſoluti, antiqua libertate donati, in Divini Patris domum iterum reciperentur; atque in eam, ad quam nati, deſtinatiq. ſunt, felicitatem contenderent.

At quis tibi nunc, ſacratiſſime Pontifex,

pro tuis immortalibus in nos, atq. Orbem univerſum meritis gratias egerit cumulatè? tanta enim magnitudo beneficiorum tuorũ, ut non nobis, ſed ipſi tribuendum, ſi non pares, non dignas, non meritas gratias perſolvamus. nam quæ unquam tanta dicendi facundia, quæ divinæ copia orationis, qua quiſquam poſſit univerſa tua munera in nos collata, non dicam complecti dicendo, ſed percenſere numerando? Tu bella extinxiſti, reges conciliaſti, concordiam revocaſti, Pacem ſanxiſti. tu imperio tranquillitatem, regnis quietem, populis ſecuritatem, urbibus præſidium, toti Orbi fælicitatem tribuiſti. Tu, quod maximum, quod divinum eſt beneficiũ, animos piaculis expias, virtutibus ornas, Deo concilias, atque aditum in cœlum aperis univerſis. Quæ igitur, inquam, tanta vis ingenii exiſtere poteſt, quæ tantis par ſit beneficiis? nulla porrò, nulla. Quocirca unum, quod poſſumus, haud ingrati omittemus, perpetua nimirum confeſſione profiteri, nos tibi præ magnitudine promeritorum tuorum gratias, etſi maximoperè vellemus agere, non egiſſe.

DIXI.

CAR-

CARMEN SÆCULARE INNOCENTIO XII. PONT. MAX. DICTUM

Hic ego non Muſas, vatum commenta priorum,
In mea ab umbroſo deducam carmina Pindo:
Nec te per rigui paſcentem flumina, Phœbe,
Amphryſi quæram, vel in Actæo Arachynto.
Haud equidem ſacros ficto de fonte liquores
Haurire eſt animus, nec inani nomine paſci.
Te, Virgo, ſummi genetrix veneranda Tonantis,
Auſim, ſi tantum fas eſt, accerſere cœlo.
Tu, quæ purpureo fulges circumdata Sole,
Et ſtellis redimita, facique innixa bicorni,
Divorum regina, hominumque incedis: & omnis
Te circùm Aligerùm pictis exercitus alis
Funditur, obſervans, tua juſſa explere paratus:
Tu Nati, tu Patris amor communis, & Auræ
Ætheriæ, noſtrique ſalus, ſpeſque unica Mundi,
Divinos fontes, & dii carminis œſtrum
In noſtros infunde animos, numeroſque miniſtra
Æquales operi; quando nova ſecla paramus
Dicere, quæ ſummus pacato condere mundo,
Magnanimis jamjam INNOCENTIUS apparat orſis,
Ac toto in terras deducere gaudia cœlo.
Tuque adeò, magni quem ſecli Fata pararunt
Authorem, Romane Pater, cui cernuus uni,
Per te pacatus, terrarum flectitur Orbis,
Huc adſis, patrioque, precor, da carmina vati;
Ut canere à ſuperis per te data munera Divis,
Sparſaque per cunctas cęleſtia gaudia terras;
Utque tuas poſſit laudes, tua nomina ferre,

Quà nitidus primo conſurgit Lucifer ortu,
Quàque idem fuſcus jam Veſper mergitur undis.
Jam circumflexo centenis curſibus orbe,
Venturi Parcæ texebant ſtamina ſecli:
Tempore quo Superis mos eſt antiquus, Olympi
Sydereas aperire fores, atque alta Tonantis
Atria, ſolennes & circum ducere pompas.
Utque ipſi pariter (largiſſima dona Deorum)
Spectacli in partem tanti, pompæque venirent
Mortales, soliti in cunctas diffundere terras
Gaudia, lætitiamque, & amicæ munera Pacis.
Et jam purpureo properabat lumine Phœbus
Pandere Divorum ſtellantia limina, & annum,
Annum exoptatum, votis & mille petitum,
Auſpicio ordiri læto, cum ſummus ab arce
Ætheria Pater in terras ſua lumina fixit,
Viſurus quæ fata hominum, qui rebus ineſſet
Terrenis color, & qui agerent mortalia caſus.
Sed vix divinos oculos, vix arduus omnes
Per terras circùm mentem, perque æquora flexit,
Cum totum denſa immerſum caligine Mundum
Proſpexit, ſcelerumque alta cuncta obſita nocte.
Namque novis odiis, odiiſque incenſus avitis
Tartareus Pluto, Stygiis è ſedibus omnes
Per totum peſtes vitiorum immiſerat Orbem.
Quas inter diſciſſa nigros Diſcordia crines
Prima volat, ſpargitque faces, atque undique vaſta,
Irritans populorum animos, incendia ſufflat
Bellorum, ſocioſque in mutua concitat arma.
Hinc latè exultat Mars impius, aſpera miſcens
Prælia: concurrunt gentes, quæ pace quietæ,
Jamdudum patrios verſarant vomere campos:
Inque vicem cædes, & triſtia funera portant.
Omnia miſcentur, jactantur turbine ab uno
Omnia

Omnia, juſque datum ſceleri, perverſaque ſacra.
Quæ cùm proſpiceret ſummo regnator ab axe,
Ingemuit, caſus hominum miſeratus acerbos.
Atque hæc divino dedit ore: Tot horrida fluctus
Martia luctificos tempeſtas movit, & omnem
Europam ſubvertit atrox furialibus undis.
Nimirum tantos mortalia crimina luctus,
Per tantas meruere neces: gens impia pœnas
Promeritas luit, & proprio ſe ſanguine paſcit.
At fragili quoniam generi miſereſcere noſtrum eſt,
Æmulaque inferni calcanda ſuperbia Ditis,
Succurram tanto jactatis turbine rebus.
Quæque una exortos valeat ſedare tumultus,
Atque ſuam Mundo faciem, priſcumque decorem
Reddere, ſydereo demittam à vertice Pacem.
Quæque piet populos, & noxas diluat omnes,
Addam olli comitem Pietatem: operiſque miniſter
Præclarus tanti, quique aurea ſecula condat,
Sit, qui Romanæ dignatus honore Tiaræ,
Terrarum regit auſpiciis melioribus Orbem.
Hunc etenim, cui munda dedit cognomina virtus,
Delegi prius ipſe, ſacra quàm ſede locarent
Unanimi conſenſu homines; ut ſcilicet alto
E cœlo Pacem redeuntem, munere noſtro,
Atque unà acciperet Pietatem, Orbemque piaret,
Atque novi in terris exordia duceret ævi.
Idque etiam ſacris prædici vatibus ante;
Nimirum ut gentes cunctæ, populique tenerent,
Inſigni quæ habenda viro reverentia, juſſi.
Hæc ſecum, nitidi fatus moderator Olympi,
Aligerùm è tantis accerſit millibus unum,
Magna Patris Magni cui terris nuncia ferre
Conceſſum, panſis Euro velocius alis,
Ille volat, ſolioque aſſiſtit juſſa paratus

Accipere: actutum placido olli ſic Deus ore:
Uade, age, Romuleos in colles dirige curſum,
Atque hæc Pontifici defer mandata Latino:
Me tandem cœlo Pacem demittere ab alto
Decreviſſe: cui Pietatem adjungere, & omnem
Virtutum inſignem cœtum, ſententia menti eſt.
Ipſe choro ſedem tanto, & ſolennia ſacra
Digna paret, Latio gentes purgamine luſtret,
Conciliet reges, decernat fœdera, placet
Iratos populorum animos, nexuque ſub uno
Alliget, & Scythicos in fines bella releget.
Illum ego, virtutes, reliquos quibus eminet omnes
Mortales ſuper, aſpiciens; vim ſcilicet Æqui,
Candoremque, Fidemque, & Religionis amorem,
Ac mites animi ſenſus, mentemque benignam,
Pauperibus qua ſemper opem largitus amicam eſt;
Jamdudum è tantis elegi Heroibus unum,
Hæc ipſa ad rerum præclara, & grandia facta:
Scilicet ut magnus pater eſſet, & arbiter Orbis,
Venturique auctor ſecli, Paciſque ſequeſter,
Atque ſator Pietatis, & illo ut Principe cuncta,
Expulſis longe Furiis, & Dite fugato
Clauſtra ſub inferna, antiquo reddantur honori.
Hæc Pater Omnipotens: confeſtim nuncius ales
Præpetibus curſum pennis rapit, & ſecat altum
Æthera, diffugiens, nitidum ceu fulgur: & alis
Diſpulſus paribus latè circumſonat aër.
Et jam deſcendens Eoo à cardine, ſumma
Attigerat Tauri faſtigia: jamque Chymæram
Deſerit, & monſtrum, monſtrique incendia ridet.
Mox volat Ægæo, ſparſaſque in fluctibus altas
Deſpectat Sporades, Cycladeſque, & Gnoſſia regna:
Spectat & Euboeam, & toto jam gurgite menſo,
Pelion appropérans, altumque interſecat Oetam.

Quos cùm proſpiceret, placidò dat talia riſu:
O claros auſus, & grandia cœpta gigantum!
Hinc ſe Parnaſsi geminata in culmina librat:
Et Pindum læva, fortunatoſque receſſus
Muſarum, & Phœbi, dextraque Helicona relinquit.
Nec mora fulmineis pulſata Ceraunia flammis
Jamjam ſuccedens celer occupat: inde profundum
Jonium curſu tranat pernice: propinquam
Mox tenet Heſperiam: perque alta cacumina longi
Sub paribus pennis delabitur Apennini.
Ilicet & vaſti dimenſus culmina montis,
Se tandem ſacro Tarpæi in vertice ſiſtit.
Tempus erat, quo blanda roſis Aurora coruſcis
Se comit, jam prompta mari conſurgere, & Orbi
Optatum deferre diem prænuncia Phœbi;
Cum Pater è thalamo ſurgens Romanus ad aram
Se flectit, funditque preces: & Numina toto
Pro grege ſolicitus pro ſponſa exorat; ibi ales
E cœlo miſſus ſupervenit, & jacit ore
Talia divino: Superi me rector Olympi
Ad te, Magne Pater, demiſit: & illa referre
Juſsit, agenda tibi quæ ſunt, quæque ipſe miſertus
Fata hominum optaſti jamdudum ſupplice voto:
Nimirum afflictis pacem concedere rebus,
Atque omnem luſtrare gregem, Mundumque piare
Criminibus, ſævi quæ multa licentia Martis,
Et rabies hominum, & diri furor intulit Orci:
Atque futura ævi primordia condere, quæ jam
Concordes auro ſubtexunt ductile Parcæ.
Ergo age, quandoquidem tantarum ad munera rerum
Te Pater Omnipotens delegit, & omnia volui
Sub pedibus, vertique tuis mortalia juſſit.
Numinis i magni divina ad cœpta miniſter:
Junge animos regum, populorum pectora flecte:

Da pacis leges, mala crimina dilue, ſeclum
Conde novum, cunctiſque viam ſub ſydera pande.
Hæc poſtquam roſeo effatus dedit aliger ore,
Se ſubitò, expanſis in cœlum ſuſtulit alis.
Quaque viam ſecuit, fax lumine clarà refulſit:
Atque aër circum dio ſpiravit odore.
At Pater Aligeri ſummo dignatus honore,
Ilicet aggreditur magni mandata Tonantis
Explere, & finem tantis imponere cœptis.
Ergo ubi Sol fuſcis rediens auratus ab Indis
Extulit Oceano currum, lucemque revexit,
Tarpæjam in ſedem ſacrum de more Senatum
Imperat acciri: confeſtim murmure facto,
Acciti veniunt Patres, diumque ſubintrant
Limen, & auratis ſe cuncti in ſedibus aptant.
Hinc poſtquam ſiluere, throno ſic inquit ab aureo
Tum Pater, & lætis implet ſermonibus aures:
Quod precibus multis, dudumque optavimus, illud
Nunc tandem Omnipotens ſolio miſeratus ab alto,
Annuit: & Pacem mortales viſere rurſus,
Et ſecum Pietatem unà deducere Olympo,
Cumque novo juſſit diffundi gaudia ſeclo.
Quare agite, hæc mecum molimina grandia rerum
Suſcipite, in partemque operis ſuccedite tanti.
Hæc ubi, qui pulchra ſunt majeſtate decori,
Quique tonant acri eloquio, ingenioque potentes,
Deligit, ut magnos ad reges ſacra reportent
Mandata & dictis animos ad fœdera flectant.
Utque, jubente Deo, deponant arma, furoremque
Et tandem à prædis, ignique, & cæde tenentes,
Conjungant ſocio ſe fœdere, ſeque viciſſim,
Depoſitis odiis, puro amplectantur amore,
Fœdataſque pient fraterno ſanguine dextras.
Ipſe ſed interea ſolennes ducere pompas

Molitur, condenda quibus ſacra ſecula Mundo
Auſpiciis Divum magnis, atque omine læto
Ordiri incipiat, ſacriſque inſignibus ornet.
Eſt Vaticani clivoſo in vertice collis
Regifico moles ſumptu, luxuque ſuperbo
Inſtructa,& ſummo Divorum ſacra Tonanti,
Magnum opus, & regni pro majeſtate Latini.
Quo nil Roma potens, nil majus iactitat Orbis,
Magnorumque ferax operum generoſa vetuſtas.
Nec quidquam Romana colit ſacratius uſquam
Relligio, & magni clareſcit nomine Petri,
Marmoribus ſurgit niveis, variataque ſaxo
Barbarico, Numidaque exciſæ à rupe columnæ.
Longa laboratis queis projectura coronæ
Capitulis ſuper incumbit, circumque recurrit,
Incingens templum, ſculptura inſignis, & auro.
Altera Divorum quo non eſt ditior ædes.
Vaſta ſed in cœlum teſtudo attollitur, alti
Æmula Soractis, vel nubiferi Apennini,
Stellatumque ferit ſtellato vertice Olympum.
Concava depictis Divùm nitidiſſima ſignis,
Quæ ſpirare ſua ſub imagine, viva colore
Nativo credas, fulvoque ardere metallo.
Quo veſtita tholi faſtigia ſumma ſuperbi,
Atque extrema ſimul confinia, quæque figuras
Appictas inter ſpatia interpoſta niteſcunt.
Clarum opus, & factum ſe dicere poſſet Apelle.
At verò inſculptis circùm convexa renident
Marmoreque, ſtatuiſque: & cœlo inſignia docto
Ampla feneſtrarum fulgeſcunt limina, & arcus
Magnifici, cardoque auro variatus: & omnis
Ex opere inſigni moles externa ſuperbit.
Ut Polycletea ſe natam dicere dextra
Poſſet, & aſtrigero ſimilem ſe fingere Olympo.

Hu-

Hujus ab auguſto Romani limine templi
Dum ſacra Pontificis vox intonat, alta Tonantis
Redduntur populis, totique oracula Mundo.
Sancta hic Relligio cultu veneratur avito
Regnatorem Orbis, Divumque, hominumq. parentem
Atque adolet pia thura: patrumque è more vetuſto
Mille ſacerdotes perſolvunt ſacra: Supremo
Inque cruenta Patri mactatur victima Natus,
Natus quo cuncti ſunt Servatore redempti
Mortales propria noxa, noxaque paterna.
Huc reges ſua dona ferunt, hunc cardine ab omni
Terrarum populi venientes vota reſolvunt.
Omnes hic gentes divino fonte lavantur
Sordibus à cunctis; animoſque, & corpora mundæ
Inſtar olorini caneſcunt alitis, aſtra
Ut volitare ſuper, nunerumque augere beatum,
Cumque ipſo regnare Deo per ſecula poſſint.
Auguſto in templo binæ ſub cardine valvæ
Vertuntur ſolido, nitidoque ex ære rigeſcunt.
Quarum perpetuò cunctis hæc una pateſcit,
Numen adoratum quotquot delubra ſubintrant.
Altera centenis ubi magnus curſibus annus
Incipit, atque novo euduntur ſecla metallo,
Pontificis Magni dextra reſeratur; & illa
Quotquot templa petunt, quocumque è litore Mundi,
Ac ſacra Romano peragunt de more, piantur
Criminibus, vitam quæ commiſere per omnem:
Atque iter ad Superos ſibi tutum, & olympia regna,
Ad quæ progeniti magno ſunt munere Divûm,
Lactea per nitidi pandunt veſtigia Cœli.
Ergo ubi jam tempus compoſto fœdere Pacem
Accipere è cœlo venientem, unàque beatum
Virtutum cœtum, ſacraque ſub arce locare:
Scilicet ut magni menſes auctoribus illis

Exo-

Exoptata novi facerent exordia ſecli :
Tum Pater ornari cultu delubra ſuperbo ,
Præcipit, & Phrygio veſtirier omnia textu ,
Omnia Sidonio fucata ardere ſub oſtro .
Et jubet Attalico pariter, Batavoque labore ,
Marmoreum ſplendere ſolum, cultuque Britanno .
Inſterni flores, ornari floribus aras ;
Balſama ſuccendi, ſylvaſque ardere Sabæas ,
Quidquid & Ægyptus , quidquid Nabathæa remittunt
Regna vaporiferi, Perſiſque, Eoaque tellus .
Ordine ſed longo ſolennes inſtruit ipſe
Interea ad templum pompas, comitante Senatu
Purpureo Patrum : quos torque induta coruſco
Nobilitas ſequitur : totaque ex urbe, Quirites
Effuſi, retrò ſuccedunt agmine logno :
Ipſe Quirinali gradiens ſpectabilis oſtro ,
Et nitidus gemmis, & tempora ſacra Tiara
Tergemina redimitus, & ore verendus, & alta
Majeſtate, Deo ſimilis qua cernitur ipſi ,
Cœtum inter Patrum, turmaſque incedit ovantes .
Pone chorus geminus, geminas diviſus in alas
Subſequitur, citharas, ſiſtrumque, & nablia pulſans ,
Arte, modis, numero, & concordi perſonat ore
Divinas laudes,Superoſque ad grandia cœpta ,
Auſpiciis properare bonis, & adeſſe ſecundos
Supplicat, ingeminanſque preces gens aſſonat omnis.
Undique ſepteni feſtivo carmine colles
Reſponſant : & tota ſacro per compita paſſim ,
Perque vias omnes ſubſultat murmure Roma :
Et cantu, cytharaque poli convexa reſultant .
Jam ſacrum ad templi limen perveneratagmen
Purpureum : in binas hic ſe tum diſtrahit alas :
Amplaque per medium fit ſemita : totaque longo
Ordine flammarum, pompaque ardente relucet .

Huc

Hàc ſe Romuleus Princeps ad operta reducit
Limina, queis ſancti capiunt exordia menſes.
Mox veteri de more ſacras diſcindit acuto
Veſte fores, reſerat valvas, aditumque recludit,
Quo novus auſpiciis currat felicibus annus.
Qui ſubitò feſta populi, Patrumque, Equitumque
Voce ſalutatus, plauſuque exceptus ovanti eſt.
Vix diæ patuere fores, cùm lumine claro
Ingens delubrum complexa eſt undique flamma,
Audituſque ſonus, validi ceu fulminis acti
Diſrupta de nube: omniſque à vertice collis,
Et templum viſum eſt, & ſubſultare columnæ.
Mox ſcindi cœlum, cœlique à limine primo
Aurea Pax roſea, celerique invecta quadriga,
Conſpecta in terras deſcendere: cui comes alma
Aſſiſtit Pietas: circum pennata recurrens
Nobilitas placidis expandit niſibus alas:
Carminibuſque vago levis implicat orbe choreas.
Quos inter cantus vox hæc audita: Quirini
Auguſtum ad collem ſummo deſcendimus axe,
Imperio Patris Magni, qui viſere terras,
Commotumque jubet bello componere mundum;
Ut longe tenebris vitiorum, armiſque fugatis,
Protinus incipiat ſeclorum nobilis ordo:
Aurea quo terris, orſis felicibus, ætas
Perpetuùm victura fluat: cunctæque revinctæ
Interea Furiæ, peſteſque horrendaque bella,
Et fraudes, iræque atris claudantur Avernis.
Aſt, Innocenti, ſummorum hæc munera Divum
Virtutes meruere tuæ, te maximus unum
Reſpexit Pater: & facilis tua vota, preceſque
Audiit, & caſus hominum miſeratus Olympo eſt.
Hæc poſtquam læva cœlum de parte ſerenum
Intonuit, latèque faces micuere ſupernæ,

Con-

Continuò magnum pupulorum murmur obortum
Numen adorantum, tenſiſque ad ſydera palmis
Promeritas tanto grates pro munere habentum.
Mox roſeo è curru concordi fœdere Pacem,
Et ſociam accipiunt Pietatem, omnemque Dearum
Felicem cœtum: & pompa ſolenne reponunt
Sede ſub extructa, medioque in fornice templi.
Immortale tuum, INNOCENTI, & grande trophæum:
Quo non Pontifici Romano illuſtrius unquam
Ponere venturi poterunt in ſecla nepotes:
Viſere nec majus quotquot miracula Romæ
Ex omni veniunt ſpectatum limine Mundi,
Per tantas populi terras, perque æquora tanta.
Cui liceat vati carmen ſuperaddere; ut omnis
Hæc tua poſteritas dum grandia munera noſcet,
Et meritas referat grates, & laudibus ornet
Te, nomenque tuum, dignoſque indicat honores
Immodico quæſtu purgata, & moribus aula,
Caſtigatus amor Generis, data jura Nepotum
Pauperibus: cultus ſacris altaribus auctus,
Aucta Fides, reges luſtrati, & regna recepta:
Aurea Pax populis conceſſa, Orbiſque piatus:
Inſtructæ moles, nova ſecula condita Mundo,
Magnum INNOCENTII opus eſt, & nobile donum:
Cui ſacer hæc vates monumenta perennia ponit.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google